



Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis
ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCX

Index III. Chronologicam seriem rerum in hoc posteriore Tomo narratarum
& annum quo singulæ contigerunt, exhibens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)

I N D E X I I I.

Chronologicam seriem rerum in hoc posteriore Tomo narratarum,
& annum quo singulæ contigerunt, exhibens.

In quindecim hujus posterioris Tomi libris non tam secuti sumus temporum seriem, qui mos Annalium & forma est; quam certi argumenti & materia, ad quam res diversis annis gestæ pertinebant, rationem; quod Historia videtur magis convenire. Quia tamen erunt fortasse nonnulli qui singula suum ad annum referri cupiant, id isto Indice præstamus. Librum, in quo fusus eadem narratur, & locum, cognoscere licebit à primo Indice.

Anni Christi.	Anni Societatis.	Anni Summorum Pontificum	Anni Claudii Aquavive.
MDXCI.	LII	Gregorii XIV.	I.
MDXCII.	LIII	Innocentii IX.	II.
MDXCIII.	LIV	Clementis VIII.	III.
MDXCIV.	LV		IV.
MDXCV.	LVI		V.
MDXCVI.	LVII		VI.
MDXCVII.	LVIII		VII.
MDXCVIII.	LIX		VIII.
MDXCIX.	LX		IX.
MDC.	LXI		X.
MDCI.	LXII		XI.
MDCII.	LXIII		XII.
MDCIII.	LXIV		XIII.
MDCIV.	LXV		XIV.
MDCV.	LXVI	Pauli V.	I.
MDCVI.	LXVII		II.
MDCVII.	LXVIII		III.
MDCVIII.	LXIX		IV.
MDCIX.	LXX		V.
MDCX.	LXXI		VI.
MDCXI.	LXXII		VII.
MDCXII.	LXXIII		VIII.
MDCXIII.	LXXIV		IX.
MDCXIV.	LXXV		X.
MDCXV.	LXXVI		XI.

MDXCI. Gregorius XIV. Societatis Institutum nova & luculenta Constitutione confirmat. Collegii Græcorum in Urbe cura Societati data. Nonnulli è nostris dum grassantibus in Urbe morbis succurrere laborant, in ipso caritatis officio extinguuntur, ac præcipue Beatus Aloysius Gonzaga. Collegii Patavini scholæ occluduntur. Mutinæ primum aperiuntur, item Varallæ, Groningæ, Valentianis, Bruntruti, Aginni, Turiafone, Ubetæ, Casorlæ, Leopoli, in insula S. Michaelis, in Monte Sancto. Restituuntur Rigæ, & Albæ Juliæ. Seminarium Fuldense reparatur. Collegium Commotoviense va-

statur. Seminarium Anglicanum Vallisoleti conditur. Doctrina catholica propugnatur Duaci contra Bani discipulos. Copias Pontificias in Galliam comitantur aliquot Socii. Ingravescunt in Hispania & Lusitania turbæ quædam domesticæ. Religio propagatur in Madera insula, in ora Malabarica, in India. P. Alexander Valignanus, Legatus Proregis Indiæ, accipitur à Japonum Imperatore, cum regis quatuor adolescentibus, ex Europa in patriam redeuntibus. Aeditus Evangelio in Cinaloam aperitur.

MDXCII. P. Josephus Acofta Romam venit, missus à Rege Catholico ut Congregationem Gent-

Generalem habendam curet, quasi ad sedandas domesticas Societatis in Hispania turbas. Hæc, frustra obnitente Aquaviva, promulgatur jussu Pontificis in sequentem annum. Socii excurrunt in Africam, & in Chium insulam. Origo Batavicæ Missionis. Altercatio cum parochis Duacensis super sacrâ confessione, apud Societatis sacerdotes, aliosque cœnobitas factâ, dirimitur à Pontifice in gratiam cœnobitarum. P. Alfonsus Carillius religionem tueri studet in Transilvania. Pro illa P. Thomas Mettamus, ærumois diuturni carceris confectus, moritur in Anglia. Seminarium Salmanticense Hibernorum conditur. P. Petrus Martinez creatur Episcopus Japoniæ. Taicosama de Christianis exterminandis deliberat. Quinque Societatis sacerdotes veneno sublatis à Japoniæ regulo. P. Matthæus Riccius Sinas eruditionis ac patientiæ Christianæ insignibus documentis conciliat. Nata sunt per hunc annum collegia Barulanum, sive Barolitanum, Constantiense, Insulense, Albenacense, Petracorense: cum Oettingana domo Probationis. Rotomagensis autem restitutum.

MDXCIII. Congregatio Generalis Quinta. P. Franciscus Toletus in sacrum Cardinalium cœtum cooptatur. Incidunt in hunc annum natales collegiorum Theatini, Marsalensis, Vergarenfis, Astigitani, Monfortensis, Baezani, Novodomensis, Chuquisacensis, Chilensis, & Toloniani: Probationis domus Genuensis & Toloniana; Residentiæ Biburgensis, & Cinaloensis; Domus Mexicanæ Professorum. Seminarium Illyricorum transfertur Lauretum. PP. Critonius & Gordonus Scotiam ingressi capiuntur, & in exilium pelluntur. Hibernorum Olisippontense Seminarium excitatur. Societas in regnum Chilenum accipitur. Fundatur collegium in urbe Assumptionis, primaria Paraquariæ: sex Indorum oppida Christianis sacris imbuta. Variæ stationes in Philippinis. P. Jacobus Salesius cum socio mactatur ab hæreticis in Gallia.

MDXCIV. Positæ sunt stationes Societatis in Italia Cremonæ, Alexandria à palea, Imolæ & Setiæ. Inchoata domus Probationis Panormi: item collegia Caltanissetense, Luxemburgense, Pasquaranum, & Topotzolanium. Groningense vero deperditum, urbe ab hæreticis occupata. Pater Joannes Cornelius suspenditur in Anglia. Pater Joannes Gerardius in vincula conjicitur. P. Gondisalvus de Tapia interficitur à barbaris in America. Socii Philippinensibus datur proprius præses, qui vices Provincialis obeat. Operam utilem Socii Poloni navant in Brestana synodo.

MDXCV. Societas plurimis Galliæ urbibus ejicitur. Causæ istius cladis & modus explicantur Libro XII. Restituitur in Transilvaniam, & in aliquas Belgii urbes: augetur collegiis Santanderensi, Bilbilitano, Melitensi, Macaensis: Valentina domo Profess. & Genuensi. Susceptæ sacræ expeditiones in Corsicam, Chium, & Ceylanum: in Æthiopiã; & ad Mogoles. Missiones castrenses obitæ in Pannonia. Solennis horarum XL. comprecatio Romæ in templo Societa-

tis instituta latè propagatur. Anglia Patres Robertum Southwellum, & Henricum Walpolum ob Fidei catholice constantiam enecat. P. Petrus Michael Brilmaker, & P. Joannes Lelesius veneno ab hæreticis pereunt. P. Abrahamus Georgius præfecti Turcici ferro. P. Matthæus Riccius Sedem Societatis Nanchami ponit.

MDXCVI. Claudius Aquaviva oblatum à Pontifice Neapolitanum Archiepiscopatum recusat. Erius à Lotharingia, Episcopus & Comes Virodunensis, Romam venit, nomen Societati daturus. Elizabetha Romanum Anglorum Seminarium perturbat. Societatis sacerdotes mittuntur ad Maronitas Montis Libani. Alii rem bene gerunt in Synodo Aquileiensi; alii pietatem variis in Missionibus promovent; alii dum adsunt peste laborantibus, pretiosa morte defunguntur. Cicimeci, Peruana gens, ad Christi Fidem adducuntur. P. Antonius Lopes veneno à barbaris dato extinguitur. Mitigatus Taicosama horribili terræ motu, quo tota Japonia concussa, P. Martinezius, Episcopus Japoniæ, benignè accipit. Redditur suum Monti-Regali collegium in Pedemontio, suum item Burdigalæ, aliisque Galliæ urbibus: Novum erigitur Toruni, & Aquilæ; Gaditanum diripitur. Domus tirocinii conditur Tarracone; statio ponitur in oppido S. Ludovici à Pace, in Nova Cantabria.

MDXCVII. Japonia tres primos Societatis martyres cœlo inserit, S. Paulum Miki, S. Joannem de Goto, & S. Jacobum Kifai. Peruvia P. Michaelem de Urrea trucidatum à barbaris flevit. Amisit suum Thaumaturgum Brasilia P. Josephum Anchetam. Novum Sociorum agmen transmisit in Hiberniam, & Missionem laboriosam, aliquot annis intermissam, instauravit. P. Gordonus rursus irrupit in Scotiam. P. Joannes Gerardius dirè cruciatus, evadit è carcere Londinensi. Mogolum imperator favere pergit religioni, tam salutis alienæ cupidus, quam negligens suæ. Calecuti rex Societati sedem in urbe sua concedit. Isabella Feltria Roborea domum Profess. Neapoli ædificat, & magnam accessionem domui Probationis Romanæ facit. Nascuntur collegia Labacense, Glacense, Vefuntinum, Ilerdense, & Hildesianum. Ognatense Vergaram transfertur. Domus Probationis Olisippone conditur. Sardinia provinciæ jus & nomen obtinet: Polonica in duas dividitur. Additum est Calistienfi collegio contubernium nobilium adolescentium.

MDXCVIII. Augusta est Societas collegiis Anconitano, Montensi, Varfaviensi, Sellienfi, Leopolitano, Panormitano, Calaritano, & Beneventana Profess. domo. Collegia Græcense & Colonense non parum amplificata sunt. In Anglia sedes quoddam à Sacerdotibus secularibus adversus Societatem conflatur. Datur illis Archipresbyter. Hinc nata Appellantium factio. Fabula de sicario, à Jesuitis in Comitem Nassavium immisso, fabricatur ab hæreticis. P. Martinus Laterna multis vulneribus ab iisdem concisus, præceps in mare dejicitur. Ab iisdem Societas Alba Julia pellitur. Sigismundi Transilvanæ

vanæ Principis inconstantia Religioni & Societati pernicioſa. Suſceptæ in regna Bengalæ & Peguanæ expeditiones. Ora Coromandelæ luſtratur, & in ea collocantur quedam domicilia Societatis: Seminarium in urbe S. Thomæ ponitur. Rex Cambogiæ Socios arceſſit. Illos Taicoſama graviter exagitat. Furem impii Principis mors compeſcit. P. Ludovicus Cerqueira P. Petro Martinez, Epifcopo Japoniæ mortuo ſuccedit. Pekinum P. Matthæus Riccius ingreditur. Gaymures & alii Braſiliæ populi, Chriſtiana ſacra profitentur.

MDXCIX. P. Robertus Bellarminus in collegium Cardinalium cooptatur. Odoardus Cardinalis Farnelius domum Profeſſ. Romæ exſtruit. Jaciuntur fundamenta collegiorum Lemovicenſis, Biterrenſis, Bergenſis, Atrebatenſis, Gerundenſis, Urgellenſis, Guadiciani, Frexenalenſis, Anticarienſis, & Pharenſis. P. Gordonus rem catholicam ſrenuè fortiterque gerit in Scotia. PP. Helivodius & Fildius conjiciuntur in carcerem in Anglia. Riccius domicilium Societatis collocat Nankini. Religio inter Mogoles cum Societate floret; inter Japones latet, non tamen iners & otioſa.

MDC. Nata ſunt hoc anno collegia Cretenſe, Tropeanum, Catacenſe, Caltanifettenſe, Cremonenſe, Beneventanum, & Tironum domus in Lotharingia: Bliterenſe, & Lemovicenſe confirmantur. Vocata eſt Societas in inſulam Dium: revocata Aquifgranum, in Tranſilvaniam, & in varias Galliæ civitates. Ab hæreticis perire PP. Petrus Buzelinus, Otho Campanenſis, & Laurentius Everardus. Maleani, gens Malabarica, nomen Chriſto dederunt. Aedes ſacræ in Tucumania, in regno Bengalano, & Travancoris, cum Societatis domibus exſtruuntur. P. Matthæus Riccius vocatur in regiam ab Imperatore. Dayſufama Japoniæ regnum occupat. Patres vinculis, fame, & ærumais conſtiantur, quibus P. Alfonſus Gonzales extinguitur.

Annus MDCCI. Bilbilitanum auxit collegium; Panormitanam Probationis domum ornavit, & Avenionenſem fundavit: initium domicilii Albenacenſis dedit. Collegium Derpatenſe vaſtatum eſt à Lutheranis. Patres contumeliis & plagis affecti, quibus oppreſſi ſunt quatuor. Eadem collegio Rigenſi vaſtata illata: nec mitius habiti Patres ab Arianis & Calvinianis in Tranſilvania. P. Rogerius Filkokius Londini è patibulo ſuſpenſus eſt, alii variis ærumnis macerati. Multi è noſtris dum adſunt peſtilentia laborantibus pretioſam in officio caritatis mortem obierunt. Eccleſia Thomæorum erroribus Neſtorii liberata. P. Franciſcus Rozus poſt Synodum Diamperenſem creatur Angamalenſis, ſeu Cranganorenſis, Archiepiſcopus.

MDCII. Cardinalis Bellarminus renunciat Archiepiſcopus Capuanus. P. Franciſcus Pagiſ in Anglia, Dominicus Colinus in Hibernia Catholicam Fidem glorioſa defendunt nece. Templum & domus Societatis evertuntur in regno Arracani. P. Franciſcus Fernandus ab ethnicis in tumultu populari perimitur. P. Nicolaus Lon-

gobardus rem in imperio Sinenſi cum aliis PP. bene gerit. Miſſiones obitæ paſſim inſigni animarum fruſtu. Domicilia Societatis poſita ſunt Ticini, Setiæ, Orzonæ, Perpiniani, Villavitiolæ, Baſtiæ, Sandomiriæ, & in inſula Ceilano; aedes tironibus data Nanceii & Madriti: reſtitutum collegium Montis-Sancti, in Piceno.

MDCIII. Societas Lutetiam, & in varias Galliæ urbes diplomate regio reducit. Collegium Flexienſe inſtituitur, nec non Leopolditanum. Recipitur de Suecis Derpatenſis: Claudiopolitanum ab Arianis excinditur, in Tranſilvania. Patres vulneribus debilitati; Emmanuel Nerius in templo caſus, Inſtauratur Miſſio Æthiopia. Exilium Sociis quibuſdam in Anglia inſtar ingentis beneficii conceditur.

MDCIV. Parmæ & Brixie conditur Seminarium nobilium adoleſcentum; domus Probationis Rotomagi & Vilnæ: oriuntur collegia Elvenſe, Enſhemenſe, Conſtantienſe, Clagenſurtenſe & Bilbaenſe, Hagenoenſe diſturbatur. Inſtauratur Cameracenſe. Nova Societatis domus cum templo ædificatur Pekini. Sacrum Chriſti corpus per vicos Nangazachii cum pompa deferretur. In ora Malabarica ethnici conjurant in Chriſtianos, & Societatis domum evertunt. In regno Arracani religio cum Societate magnis afficitur cladibus. P. Balthazar Barreira Guineam cum aliquot Sociis viſit.

MDCV. Redditum eſt Societati collegium Pariſienſe, conſtituta Pictavienſe, Ebreduenſe, Torunenſe, Sandomiriſe, Oſcenſe, Maſenſe, Guamangenſe, & Carthaginienſe in Novo Regno: Mauriacenſe in Gallia reparatum; Domus Profeſſ. poſita Meſſana in Sicilia. Depredita ſunt collegia Sellienſe, Claudiopolitanum, & domicilium Thurocienſe. Socii Tranſilvania rurſum eſecti. Vexati gravius in Japonia, & Philippinis. Rem feliciter gerunt in Guinea, ubi Reges aliqui & dynaſtæ Chriſtiana ſacra ſuſcipiunt.

MDCVI. Cum Paulus V. Rempubliam Venetam interdico ſubjeciſſet, Veneti Societatem à Pontifice juſſam ſervare interdico, idque facere omnino paratam, urbibus ſuis eiecerunt. In Anglia P. Henricus Garnetus, dum ſacræ Confeſſionis non violabile arcanum, & religionis catholicæ veritatem defendit, ſupplicio perduellium addicitur; itemque P. Eduardus Oldcornus. Nicolaus Odoenus eodem catholicæ religionis crimine reus, vi tormentorum diſrumpitur. P. Thomas Strangeus diſcruciat. Juramentum infidioſum Fidelitatis, ut vulgo vocabant, à Rege proponitur catholicis, prohibetur à Pontifice, à Societate acriter oppugnatur. In Polonia hæretici contra illam conjurant. Vincentius Alvarus à Turcis comprehenſus, cum venerari Mahometem abnueret, ab iis interficitur. Franciſcus Martinezius in imperio Sinenſi ſuſtibus contuſus in limine carceris expirat. Siamenſium Regi præcones Evangelii à Societate poſtulanti P. Balthazar Sequeira mittitur. At in regno Madurenſi P. Robertus de Nobilibus nova ratione, ac mirabili ſucceſſu, florentis Eccleſiæ fundamenta jact.

facit. Peperit hic annus collegia Cadurcense, Molinense, Remense, & Viennense, in Gallia: Niciense in Italia: Oenipontanum in Germania; Ternatinum in Molucis restituit.

MDCVII. Angliæ Rex Fidelitatis, ut appellabat, Juramentum à Catholicis atrociter exigere pergit: ac P. Guillelmum Wrigthum vinculis cruciatibusque macerat. P. vero Guillelmum Balduinum accusatum nomine conjurationis, ab aliquot nobilibus constatæ, innocentem pronunciat. Domus Probationis Anglicana in Belgio inchoatur. Iniqua hæreticorum adversus Societatem postulata rejiciuntur in Comitibus Polonia. Sigismundus Rakocius, Princeps Transilvaniæ, decretum de Societatis, cujus prædicat innocentiam, exilio confirmat. Paraquariæ provincia instituitur. Triumphat inter Mogoles, & in Guinea Religio. In Æthiopia resurgit: in Ora Piscaria regnare feliciter incipit. Benedictus Goes dum Saracenis Christum liberius prædicat, variis ærumnis & nece muneratur. Accrevit Societati collegia Hagenoense, Ambianense, Nivernense, & Carpentorastense; academia Dilingana, domus Probationis Tornacensis, & Burdigalensis: restitutum est Montis-Policiani collegium, Lingonense designatum: statio collocata in Vallefla.

MDCVIII. Congregatio Generalis VI. habetur Romæ. In Anglia P. Thomas Garnetus cum Fidelitatis perfida Juramentum recusaret edere, afficitur supplicio perduellibus irrogari solito. P. Franciscus Pintus, ad barbaros Fidei mysteriis imbuendus profectus, ab iis mactatur in Brasilia. Religio magnis incrementis augetur in regno Mexicano, in Philippinis, in Mogolis Imperio, in regno Madurensi, ac præsertim in Guinea, ubi certatim Reges ac dynastæ sacramentum Christo Regi dixerunt. Duæ pariter expeditiones sacræ & Missiones longo intervallo disjunctissimis in locis repetitæ sunt, una in regno Monomatapæ, altera in urbe Constantinopolitana. Fundatum est Castilione collegium in Italia, Remense & Santonense in Gallia, Zagrabienense in Slavonia, Luceoriense in Polonia. Instauratum Augense in Gallia, Dionantense in Belgio: confirmatum & stabilitum Leopopolitanum in Russia: statio posita Cameneci in Podolia. Aquitanica Galliæ provincia in duas divisa.

MDCIX. Societatis Fundator in Beatorum numerum publica Orbis Christiani gratulatione relatus est. Missiones, concertationes cum hæreticis, & alia Societatis munia ubique non penitendo fructu administrata sunt, præsertim in Anglia, Scotia, Hibernia, Guinea, regno Madurensi, ac demum in Japonia, ubi ad asserendam profuso etiam sanguine Fidei veritatem, pueri feminaeque cum viris certaverunt. Magnum religioni ac bonis moribus obicem afferbat in Australi America Servitium Personale. Illud extirpare dum Societas nititur, multis in locis vexata, & urbe S. Jacobi, Tucumanæ capite, cedere coacta est. Jacturam hanc domicilia duo compensarunt, alterum in urbe Mendoza, alterum in oppido S. Michaelis. Tria Italiæ collegia

procreavit hic annus, Firmanum, Stabienfense, & Meisfense; Belgio Silvaducense, & Ruremundanum; Galliæ Cadomense.

MDCX. Cum sicarius Henricum IV. Galliæ Regem peremisset, constata est ex infando scelere invidia gravis in homines Societatis, quorum doctrina mensque Regibus inimica dicebatur. Sed eorum innocentiam ipse parricida; tum Regis filius & successor; denique Parisiensis antistes, publicis litteris testati sunt. P. Robertum Perfonium amisit Anglia, Sina P. Matthæum Riccium. Patrum Joannis Perceyi & Thomæ Laithwaiti varios carceres, & dimicationes in eadem Anglia, Liber XIII. fusè commemorat. Gabriel Bathorius in Transilvania bellum Religionis & Societati palam indixit. Socii ad necem quæsi evaserunt in Valachiam. P. Raphael Ferrerius barbarorum, quos in Perua erudiebat, conjuratione periit. Evangelicæ per totam Paraquariam excursionis factæ, & complures animæ Christianam in libertatem feliciter vindicant. E nostris in Monomatapæ regnum profectis tres naufragio extincti, tres in interiorem regionem pervenerunt. Namurcense collegium conditum in Belgio; alia aliis in locis aucta, ornata, & stabilita.

MDCXI. Collegium Pragenfense magnum à seditiosis & hæreticis periculum adiit: nec non Aquigranense. Datus est aditus Societati novam in Franciam, sive Canadam. Initium dandi factum in collegiis Rodumensi, Vesulano, Tifernate, Asculano, Sorano, Giennensi, Bambergensi, Passaviensi, & Plocensi. Saffaritanum quoque Seminarium curæ Societatis & fidei conceditum. Tirones Mechliniæ collocati. Vocata Societas in oppidum S. Fidei; revocata in urbem S. Jacobi: hæc Tucumanæ, illa Paraquariæ civitas est. Lustratæ & excultæ quadraginta insule in vasto Chilenfensi regni sinu, maris Ægæi simillimo. Sinenfium astrologorum error à Sociis deprehensus, & emendatus, magnam illis, & religioni, auctoritatem conciliavit. Templum Domino Cæli publice dedicatum Nankini. Apertum ostium Evangelio in provinciam Cekiamentensem. Data Societati domus in urbe Hanceo. Statio quoque altera in Ceylano posita. Bacchata per varias Europæ urbes pestilentia multos è nostris, de proximorum salute magis, quàm de sua sollicitos, extinxit.

MDCXII. Missi Roma jussu Pontificis aliquot Socii Bosniam, Serviam, Slavoniam & vicinas regiones utiliter peragrarunt. Alii Pantalariam, alii varias Ægæi maris insulas lustraverunt. Unus etiam mirabili eventu delatus in Tartariam catholicorum reliquias magno affectu solatio. Nova Professorum domus Neapoli coaluit, quæ postea in collegium, nomine S. Ignatii insignitum, conversa est. In eadem urbe sodalitas illustris sacerdotum instituta: in Sicilia Netinum collegium ornatum, Torunense stabilitum in Prussia. Parisiensis domus Probationis & Carolopolitanum collegium Gallicis domiciliis acceperunt. Ravenfense collegium Polonicis; Lomzæ, Cremsbiri, & Smolenski, stationes positæ. Belgij pro-

provincia in duas, Flandrobegicam, & Gallobegicam, est divisa.

Daifufama, Japonum Imperator, novam & atrociorē in Christi cultores persecutionem movit. Mitior in Imperio Sinenſi fuit vexatio. Exilium noſtris indiſtum; impoſita nonnullis vulnera. A barbaris crudelius in Chileno regno ſevitum in P. Martinum Arandam, P. Horatium Vecchium, & Didacum Montalbanum. Dum pellices, Chriſto aſſertas, ethnico Principi reddere abnuunt, ejus juſſu maſtantur. In regno Madurenſi non tam cum ethnicis & Indiæ doctōribus depugnavit P. Nobilius, quam cum catholicis theologis, etiam de Societate, qui ſuperſtitionis periculum formidantes, illum cærimoniis quibuſdam Indicis plus juſto indulgere criminabantur. Magna in Philippinis inſulis facta eſt ad Chriſti gregem acceſſio.

MDCXIII. Cæpit Societas juventutem bonis artibus & moribus informare in collegiis S. Clementis, Almonacidenſi, Heſklinenſi, Arienſi & Byſtadiano. Stationes variis in locis, ac maxime quatuor adepta eſt in regno Chileniſi. Xaoceanam ſedem in Sina, improborum odio amiſſam, recuperavit. Japonia rogis ad extinguenſam Fidem accenſis eam illustravit. Viginti milia Chriſtianorum unam in urbem undique convenerunt cupiditate martyrii. Numerus terrori fuit: virtus & moeſtia admirationi. Apoſtolica expeditio in Fortunatas inſulas ſuſcepta. Excurſiones in Aegæi maris inſulas repetitæ. Rutheni ſacerdotes plurimi à ſchiſmate Græcanico revocati. Religio neceſſariis munita præſidiis in variis Germaniæ urbibus. Cauſa P. Roberti Nobili & controverſia theologica de Madurenſium Indorum cærimoniis primum Cranganorem delata, deinde Goam, mox in Luſitaniam, ac poſtremo Romam, hunc & ſequentes annos bene multos occupavit.

MDCXIV. Legationis Pontificiæ ad Babylonium Patriarcham, duobus Societatis ſacerdotibus commiſſæ, exitus principiis felicibus non reſpondit, propter improbitatem Babylonii Archimandritæ. Res melius ceſſit Quinque-Eccleſiis, & in toto iſto Hungariæ inferioris tractu.

De quinquaginta Societatis hominibus, qui navabant operam in Angliā, quatuor comprehenſi, & in cuſtodiam dati. Omnes impiū Fidelity Juramentum ſtrenue oppugnarunt. Quodcum Franciſcus Suares egregio quoque commentario in Hiſpania præſtitiffet, ejus liber juſſu regis Angliæ combuſtus eſt in foro Londinenſi. Procurſum per totam Hiberniam hoc & ſuperioribus annis non pœnitenda libertate. Magi & venefici pluribus in locis exagitati. Recruduit in Japonia perſecutio: Patres in exilium pelluntur, latent ac remanent non pauci. Societatis domicilia excinduntur. P. Jacobus Meſquita, accedentibus ad morbum ærumnis exiliū, moritur in deſerto littore. Alii quinque iuſdem conſecti pereunt. P. Ludovicus Cerqueira Japonenſis Epiſcopus, nominatim exulare juſſus, vita cedit. Incidunt in hunc annum Academia Paderbornenſis in Societatis collegio condita: item Reſidentia Pontifarenſis, Leobienſis tironum domus; & aliquot aliæ ſtationes.

MDCXV. Brachium S. Franciſci Xaverii ex India, ubi corpus ejus integrum Gœ viſitur, delatum eſt Romam. Claudius Aquaviva Societatis Præpoſitus Generalis ſupremum diem obiit, poſt gubernatâ Societatem annis quatuor & triginta, ſingulari cum laude tum prudentiæ, tum probitatis. In ejus locum ſuſſectus eſt à Congregatione Generali VII. P. Mutius Vitelleſchus. Societatem & Scotiam ſuam illustravit glorioſa morte, & Catholicæ Fidei conſeſſione, P. Joannes Ogilbæus, Dorceſtriæ actus in patibulum. Finem ærumnarum pia & incruenta morte invenit Pater Guillelmus Weſtonus; itemque Thomas Pundus in undecim carceribus Anglicanis per annos triginta cruciatus. Novum Evangelio campum aperuit Societas in Cocincina. Primus è noſtris Chriſtum in eam intulit P. Franciſcus Buzomius, & primum in ea templum vero Numini poſuit. Paranenſes, Itapuanī, alique Paraquariæ populi palam & apertè Chriſtum colere didicerunt. In Europa nata vel abſoluta ſunt collegia Enſiſhemenſe, Neoburgenſe, Novenſe, & Seleſtadianum; renatum eſt Tyrnienſe: ſtatio collocata Hoſeſcoviæ.

